

Johann Justus Mohr Simon Gabriel Rosenow

Disputatio Philosophica De Forma Physica

Rostochii: Kilius, 1676

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730608352>

Druck Freier  Zugang



R u. phil 267c

DISPUTATIO PHILOSOPHICA
De
FORMA PHY-
SICA,

Quam

DIVINA FAVENTE GRATIA

Consensu Amplissimi Philosophorum Ordinis

In Academia Varniaca

P R Æ S I D E

M. JOHANNES JUSTO

W O R L D

Publico Eruditorum Examine subicit

SIMON GABRIEL Rosenow /

Parchimo - Meclenburg.

A. G. R.

IN AUDITORIO MAJORI

Ad diem 29. Julii Anno. 1676.



ROSTOCHII,

Typis hæred. JOHANNIS KILII Acad. Typogr. ANNO M. DC. LXXVI.

Dr. Andrea Rosenow

VIRIS

Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo ac Consultissimo
DN. JOHANNI CHRISTOPHORO
Haußwedeln /

Jcto famigeratissimo, ac Vice-Præsidi
Dicaster. Megapol. gravissimo,
dignissimo.

NEC NON

Summè Reverendo Amplissimo atq; Clarissimo
DN. M. JACOBO Sommerfeldt /
Ecclesiarum Districtus Parchimensis &
Sverinensis Superintendententi vigilantissimo,
spectatissimo.

UT ET

Plurimum Reverendo, Clarissimo ac Doctissimo
DN. DANIELI ROSENOVIO,
Ecclesiæ Parchimensis Marianæ Pastori
meritissimo & Rever. Minist. ibid. Seniori
dignissimo,

Magnis suis MÆCENATIBUS, PATRONIS,
FAUTORIBUS & PARENTI, omni loco & tempo-
re summe devenerandis,

*Hunc Philosophiæ fœtum in debita gratitudinis monumentum &
ulterioris favoris incitamentum sacrum esse jubet*

S. G. ROSENOVIUS,
A. & R.



B. C. D.

§. 1.



Quæ sententiarum divor-
tia circa formam dentur, vel
quavis adyta Philosophiæ in-
spiciens perspicit; Cimmeriis
enim tenebris adeò involuta
creditur, ut & Principes Phi-
losophiæ propriam in hoc
non erubescant profiteri ig-
norantiam: Subtilitatum
ille Magister nomina inquit,
mihi formam lapidis & Phyllida solus habeto. Aristo-
teles ipse tam ambiguè de forma loquitur, ut nondum
constet, an eam habuerit pro substantia nec ne; ejus ta-
men Interpretes pro existentia substantiali stantes, satis
sunt rigerosi in stabilienda sententia, quæ formam prop-
ugnat substantiam. *Tattinghoff, miror ait, qui Peripa-
tetici docere queant, dari formas substantiales, cum tamen
ipsi fateantur, se nescire, quid formæ sint: nisi fortè dicere
velint dubitationem ipsorum, fuisse unicum argumentum
demonstrativum existentie formarum substantialium.*

§. 2. Duo verò communiter de Corporum Natu-
ralium forma inculcant. 1. esse eam substantiam & qui-
dem incompletam, quæ una cum materia compleat &
constituat corpus naturale. 2. Esse eam immateria-
lem

lem: ut ut verò dicantur omnes formæ materiales, intelligendum tamen id esse, non ratione essentiæ, sed existentia, quia sine materia nec existere, nec operari possint; immateriales autem ratione essentiæ; quia in sua quidditate, & natura nullam involvant materiam. eaque unica distinctione, quasi fatali gladio maximos difficultatis nodos rescindi posse opinantur. Nos curatius rationibus diversæ sententiæ ponderatis vestigia Viri Plur. Reverend. M. Beckeri Pastoris templi Jacob. vigilantiss. Mathes. P.P. Excellentiss. Præceptoris nostri devenerandi prementes, salva aliorum etiam magnorum virorum, auctoritate nullas cum eo formas substantiales præter rationalem agnoscimus.

§. 3. Argumentum contra formas substantiales I. est tale.

O. Substantia cognoscitur vel à priori vel à posteriori.

Forma Physica quam pars adversa propugnat non cognoscitur neque à priori neque à posteriori.

E. Forma Physica quam pars adversa propugnat non est substantia.

Major declaratur: Cognoscitur aliquid aut immediate, & sic vel per se ipsum, vel per speciem intelligibilem; aut mediatè, mediante alterius cognitione, ut effectus testatur de sua causa, eamque cognoscere facit. Formas verò materiales substantiales cognoscimus neque immediatè per essentias, id propter quod intuitiva destituamur cognitione; neque mediatè & à posteriori; quia materia cum suis accidentibus sufficiens operationum principium est, id quod ex subsequentiis patebit. Ceterum quidam in vicina Academia Majorem multis instantiis patere, unde particularitate ejus cognita, distributivè acceptam falsitatis jure argui opinatur. Aquas ait, supra-cœlestes substantias esse cognitione humana

mana & Philosophica à tot retrò seculis neminem Philosophorum neque à priori neque à posteriori cognovisse, nec tamen has ipsas substantias esse desuisse; sed contrarium potius colligimus: Earum existentia atque cum his inferioribus naturæ conformitas si constitisset, olim vel hoc demum seculo forma materialis substantialis esse desisset, imò verò jam tum, alio sufficiente operationum principio detecto, interiit. Minoris negativam, quam à se in prioribus explicatam, atque idoneis argumentis ab erudita Antiquitate putat roboratam, in posterioribus discussam advertet, quid, quod ipse veritatis evidentia impulsus, sibi ipsi contrarius: Fatemur ait, lubentissimè quidditatem & naturam Formarum Substantialium Corporum Naturalium à priori adeòq; intimè & perfectè non cognosci. Ex effectu & operationibus equidem formæ cognoscuntur, non verò formæ materiales substantiales.

§. 4. Regerit §. 13. Cognosci eas ab operationibus cuilibet speciei propriis, quas credit non ab ipsa dispositione, neque à materia, cui omnes operationes, ut principio passivo denegat, (quum tamen ipsa materia quasdam per se operationes edat) gratis asseritur; quia operationes non proficiscuntur à materia, id propter neganda est forma substantialis, id quod inde nequaquam fluit, sed hoc duntaxat, dari igitur in rebus aliud quid præter materiam, quod sit principium effectivum ipsarum operationum, sed quod illud agendi principium sit substantia non accidens, quis inde eliciet? operationes à forma cuilibet essentiali proficisci affirmamus: accidens enim nunc substantiæ, nunc essentiali opponitur; &, licet accidens non possit esse nisi accidentale materiæ, potest tamen essentiali esse huic vel illi cor-

pori particulari; sic rotunditas ari accidentalis est, æneæ verò sphaeræ est essentialis, nondum enim constat, quomodo sine rotunditate sphaera possit fieri, idem quoque valet de horologiis, gladiis, hydraulicis &c. proinde vel primo intuitu patet operationes cuilibet speciei proprias non statuere nos provenire, ab accidentibus ut talibus, sed à forma, per quam intelligi volumus non realem substantiam à materia distinctam, sed ipsam corporis naturalis materiam secundum suum existendi modum, qui modus aut specificus ejus, aut denominatus status, aut essentialis modificatio, aut ejus impressio dici potest.

§. 5. Et, heic certè admiratio animum subit, qui per operationes formam demonstrare instituat, cum §. 14. omnes operationes acceptas referat qualitatibus; quæso, quæ ab operationibus formarum substantialium confirmatio? fateri operationem ab accidentibus edi, ac qualitates activas esse omnium functionum effectrices; & tamen arguere, quod actiones indicent in compositis formam quandam substantialem, à qua ipsæ edantur; minimè concluditur. Quæ enim coherentia: Actiones fiunt à qualitatibus, ergo propter actiones opus est in compositis formam dari substantialem? imò prior positio secundam potius destruit, ut, quoniam operationes ab activis qualitatibus perficiuntur, superfluum sit earum principium in substantiis quærere aut ponere.

§. 6. Pergit: Licet operationes fiunt à qualitatibus, ex tamen in operando non sunt agentia primaria, sed instrumenta formarum, quarum ministerio diversas edunt operationes. Sed nullum agens instrumenti rationem subit, nisi quatenus ab alio ad agendum moveatur,

veatur, id quod fit imperio vel hortatu, tacito instinctu
atque applicatione, hoc qui hic fiat, dicti sui afferat ra-
tiones prius, quam exspectet, ut fidem ei habeamus.
Hinc rata manet conclusio: *Si materia cum variis acciden-
tibus sufficiens operationum principium est, ex operationibus
evictum dari non potest, formas esse substantias, sine omni
ergò necessitate forma substantiales sunt excogitata; contra
aliud. Entia non sunt multiplicanda citra necessitatem.*

§. 7. Nec hic putes ipsum Authorem pro suffici-
entia accidentium in edendis operationibus rei afferre
ignorantiam, vel cause diffidentiam, quando sequentia
adjicit verba: *Et si non cuius statim obvium est, qua ra-
tione accidentia tot nobilissimarum operationum principium
esse possint, non tamen nova Entia statim fingenda sunt.*
Cum ex eo haud difficilè sit colligere, quod Vir ille sub-
acti iudicii eo ipso aliud nihil indigitare voluerit, quam
ne quis, ratione pro forma accidentali nondum satis
perspectâ, nova statim Entia excogitet.

§. 8. Progreditur ratiocinando: *ut rectè ait,*
Philosophi substantiam natura & dignitate quovis acci-
dente priorem statuunt; ita & nos asserere non vere-
mur, veritatem suam fundamentalem obtinuisse ultra
5000. annorum; cum vix nudius tertius accidentia
formatum substantialium locum non absque temerita-
tis labe, subire conata sint; sed quid! erraverunt Pa-
tres atque nos erraremus? quin imò Corporis Natu-
ralis natura penitiùs examinata, dicimus nostram sen-
tentiam in rei veritate fundatam aeternæ esse veritatis,
neque quicquam refert: an hæc nostra de formis acci-
dentalibus sententia recens inventa salutetur. Sic e-
nim ante laudatus noster Præceptor circa tritam illam
quæstionem in Colleg. Physico, An dentur qualitates
occul-

occultæ? Non bene inquit Philosophantur, qui in effectibus prodigiosis statim confugiunt ad qualitates occultas, eo ipso enim metam humano ingenio præscribunt, & à laudabili veritatis scrutinio generosa pectora avertunt, Philosophum enim teneri, ut sollicitus sit de causa, si non proxima, saltem verisimili. His quid velimus cuivis docili ingenio constabit.

§. 9. Excipit porrò ad rem artificialia nihil facere, cum interea & corpora Physica infinita sit distantia; illa refert inter Entia per accidens, hæc verò inter Entia per se; Ad hanc exceptionem R. quod forma accessoria accidentaliter substantiæ completæ superveniens, uti horologium, gladium &c. in esse, ut ut per extrinsecam modificationem constituit, ita forma naturalis, eaque accidentalis cum intrinsecè tum extrinsecè corpus naturale perficiens idem absolvat: id quod ipse Aristoteles innuit passim, ubi confusè adeò versatur in hoc negotio, ut quando de forma agit substantiali, delabatur in mentionem formæ, quæ est quarta species qualitatis ac formæ artificialis, atque id perverso adeò modo, ut & de formis accidentalibus agat, tanquam de proprio disputationis objecto, de altera verò, de qua præcipuè agendum erat, paucula quædam hic illic cursim inserat, confirmaturus eo ipso, quod artificialia totis naturalibus respondeant, cum pleræque artes materiales in eo consistant, ut subjectum suum certo modo conforment.

§. 10. Quod autem ejusmodi accidentium conventus ad fungenda necessaria formæ munera sufficiat, vel inde patebit, quod corpus in suo esse determinet, & ad hanc vel illam speciè redigat, & ab aliis quibuscunq; speciebus discriminet. Formalis enim ratio Formæ
Phyfi-

Physicæ consistit in materiæ dispositione, quæ tali vel tali cū gaudet situ, figura, magnitudine, motu, & quiete, talis quoq; vel talis inde emergit species corporis naturalis, qua posita, ponuntur vel ex ea potius fluunt operationes. Artificialia si respicimus, ex una eademq; massa per introductionē diversorū accidentium diversa exsurgunt corpora artificialia. Ad naturalia verò oculorum aciem si reflectimus; Arbor, cui alterius speciei surculus insertus, diversam fructus speciem producit; nec ea ipsa duas id propter diversas formas substantiales habet materiæ & accidentibus contra distinctas. In mulo pariter ex diversis speciei individuis producto, easdem dari nemo concedet, quippe quæ differentia substantiali specifica distincta in unam speciem coalescere nequeunt. Finges forsan eam in quolibet subjecto specificam ex partibus heterogeneis compositam, sic nobis favebis, tibi verò ipsi contrarius eris, eò *quod eas ante simplicissimas asseveres*. Relinquitur E. diversam illam materiæ dispositionem, qua materia in situ, figura, magnitudine, motu & quiete rite disponitur & determinata species Corporis Naturalis constituitur, totum negotium absolvere, ut sufficiens, adæquata atq; à priori operationū ratio. Ad hæc dices, inferiorē sub superiori contineri, eamque esse in potentia non actū; at, quæ illarum erit inferior? cum juxta proprium effectum utraque sit è genere substantiarum; quare si dantur ullæ formæ substantiales, non possunt in subjecto aliter esse, quam actū; namque illud esse *in potentia*, revera aliud nihil est, quam non esse.

§. II. Hinc manet Responsio §. 8. *non semper differre per formam substantialem, quæ differant essentialiter;*

B

ter;

ter; aut si ad essentialem, in Physicis distinctionem necessarium est introducere formas substantiales, ea ipsa in leone atque brassica demonstranda erit; accidentaliter eas differre ex metu processus in infinitum non admittet Autor, quod semper iteranda venit quæstio, per quod tum formæ ipsæ substantiales differant essentialiter; Si verò posterius, evictum, non semper ad distinctionem essentialem necessariam esse formam substantialem v. g. horologium & gladius differunt essentialiter, nec tamen per formam, quæ sit substantia, quin imò & inter ipsas formas datur distinctio essentialis; aliam enim leo habet formam, aliam equus, aliam planta; atque has ipsas per alias formas substantiales differre dixeris? Nec *processus in infinitum tollitur*, quod dicitis, *Omnes Corporum Naturalium formas convenire in genere Entis*; namque non omne id, quod sub genere Entis continetur est è genere substantiarum: accidens sub genere Entis continetur, nec tamen est substantia: reliqua quæ hic congeffit, apponere non libuit, quoniam vel falso nituntur principio, vel nobis non contrariantur.

§. 12. Denique §. 17. Accidentia illa, quæ alia atque alia in materia conspiciuntur, partim à primo motore in ipsa creatione minutissimis materiæ particulis impressa, partim ex motu naturali acquisita, inficiantur; *primum quidem quod ex S. S. sit depromptum, cum tamen vel ipsam rationem sapiat, quæ confirmat. Independentibus illud immediatè omnes effectus de suo foecundo velle exclusisse atque adeò materiam accidentibus exornasse; alteram verò planè absurdum opinatur, ex eo quod motus sit è numero accidentium, qui causa principalis esse nequeat operationum, dignitate & nobilitate motus rationem*

tionem longe superantium. Sed disjungit conjungenda, non enim adscribimus motui in sensu disjuncto, neque extrinsecus adveniendi ejusmodi operationes, sed naturali & intrinseco, quem Deus materiæ simul in principio impressit, atque eundem etiamnum conservat, & in sensu conjuncto: namque motrices qualitates rerum naturalium constitutionem ingressæ, easdem ex se generatis imprimunt; quod autem certam figuram, situm & magnitudinem acquirant, à motu est, Deo tamen non otiosè cessante, sed omnia sapientissimè dirigente ac conservante. Nec ad præsens negotium quicquam attinet, sive principia sint ejusdem ordinis vel prædicamenti, sive diversorum, siquidem ad illud, ut idem principiorum nomen participant, sufficit, ea pariter ad componendam rei essentiam concurrere.

§. 13. Argumentum contra formas substantiales 2. est

O. Substantia est vel materialis vel immaterialis.

Forma quam Peripatetici propugnant neque est materialis neque immaterialis

E. Forma quam &c. non est substantia

In majori termini contradictoriè sibi opponuntur, nec ullum aliquod medium concipi inter substantiam materialem & immaterialem potest. Minorem quod attinet: Formæ Physicæ 1. non sunt materiales, ut ut tales audiant ratione existentia, non tamen eas §. 20. vult materiales esse ratione essentia; unde ex hoc quoque principio ad 2. Adriani argumentum §. 21. B. esse eam non per se, & ratione essentia divisibilem & quantam, cum tamen ne ulla quidem res per accidens patiam passionem possit, quam per se pati inepta est, ac proinde neque dividatur, nisi eam naturam sortita sit,

nt dividi possit : quæ autem verè non dividuntur , non dividuntur omninò. 2. Non sunt immateriales, aliàs enim salutarerentur Spiritus, qui Pnevmaticis est substantia secundum rem abstracta. Nec est, quod dicat §. 20. ad rationem Spiritus in rigore & exquisitè dicti plura requiri, aliàs enim & accidentia fore Spiritus, utpote immaterialia Entia; quasi accidentia substantiæ essent immateriales? Et, quid quæso præter id ad rationem Spiritus requiritur? Regeris *Spiritum completè, in arbore predicamentali substantia debere subordinari, indeque ipsam animam rationalem Spiritum non rectè vocari*, idque ea propter, quod sit Spiritus incompletus; Verùm quod anima incompletus dicatur Spiritus, fit respectivè, quoniam naturaliter cum corpore semper debet esse connexa, & vel separata existens ad materiam propendet; absolutè verò & ratione essentiæ omninò sunt Spiritus vocabulo propriè non molliùs & laxiùs sumpto, etiamsi dependentiam ratione existentia ad materiam dicant; sic reliquæ formæ Physicæ, propter essentialitatem immaterialem quoque erunt Spiritus, licet ratione existentia materiales sint, idque quod ex sententia Peripat. substantia dicantur.

§. 14. Restat nunc ultimum contra formas: Substantiales argumentum 3.

Forma est principium & radix omnium operationum in Corpore Naturali.

Forma quam in Scholiis propugnant non est principium & radix
Ec. E.

Major patet. Minor confirmatur; namque defensores earum ne adumbrare quidem possunt, qui operationes exercent. Dicis nullam consequentiam hanc esse; quod veritas principiorum Activorum & Entium realium non dependeat à cognito & incognito modo operandi principiorum,
quæ

quã nos; aut, hoc concesso; dubitatio felicissimè si tolli poterit, rei veritate convicti eam diutiùs foveamus? Ceterùm Cognitionem præterdit naturalem, at satis accuratè profligatam ex eo, quod vel animæ rationali obscurum sit, quid sibi insita cognitio naturalis præstiterit, neque ulla ratione in memoriam sibi revocare possit; forma E. corporis naturalis architectrix non erit. Sed quid roboris suis quoque pro forma substantiali argumentis insit ponderemus.

S. 18. Argumentum 1. sumit ex ingenio & natura compositi Physici; in forma esset tale.

O. *Compositum substantiale requirit materiam & formam substantialem ex quibus componatur.*

O. *Corpus Naturale est compositum substantiale.*

E. O. *Corpus Naturale requirit materiam & formam substantialem, &c.*

Resp. Negando consequentiam 1. quia horologium, domus atque alia artificialia vera composita substantialia omni destituuntur forma substantiali. 2. Ipsa corpora composita sunt substantialiter, quippe quæ ex materia, vel ejusdem particulis debito & cujusque corporis naturæ conveniente modo unitis constituuntur. Quod si verò pertinaciter urseris minorem, corpora composita necessariò duo principia requirere substantialia; negamus minorem, dicimusque excepto homine, nullum corpus ex duabus componi substantiis, sed omne corpus compositum esse corpus essenziale, quatenus ex principiis essentialibus Materia, motu, quiete, figura, situ & magnitudine ritè dispositis componitur; hæc autem essentielle esse principium non accidentale ex ante dictis elucescet. Disparem opinari esse rationem artificialium & naturalium, quod illa ab extrinseco, hæc verò ab intrinseco moveantur principio. Sed nullum.

inter hæc aliud agnoscimus discrimen, quam quod illa ut plurimum instrumentis perficiantur magnis, hæc contra ab organis adeò minutis pendeant, ut operationes horum omnem fugiant sensum: imò verò neque hæc magis ab interno moventur principio, quam illa, id quod in animalibus ac stirpibus deprehendimus, quæ absque externo motore Sole, aëre & alimento &c. nullas operationes perficere possunt. Et, cur modificatio hæc horologio magis esset extrinseca, quam ferrum ab artifice extrinsecus adductum? sicuti igitur ferrum horologio est intrinsecum, ita & modificatio. Ad hæc obstare putas; quod ex accidente & substantia non prodeat unum per se, sed per accidens: argumentum foret tale.

Si non darentur forma substantiales omnia corporum essent Entia per accidens.

Absurdum consequens E. antecedens.

Resp. Neg. Conseq. quia Ens per accidens ex iis constat, quæ ad unum non ordinantur, at verò motus, figura, situs &c. cum materia ordinantur per se & intrinsecè ad unum Corpus Naturale constituendum.

§. 16. Dari Formas Corp. Naturalium substantiales probat §. 18. ex concessa veritate Formæ essentialis & substantialis corporis humani; Sic colligit: *quia anima hominis est forma substantialis corporis humani. Et reliquorum Corporum Naturalium forma erit substantialis, eò quod æque propriè dicta sint formæ;* verum quæ consequentia ejusdemque probatio? Ens complectitur & substantiam & accidens ad æquato conceptu E. accidens est substantia? idem valet de forma. Homo congruentia quæstionibus responsa reddit, easdem ulterius prementi aptè occurrit, atque apposite, pro re nata, de quopiam differit E. & eadem perfectio in reliquis Corporibus Naturalibus offenditur? nullo modo.

§. 17. Præcipuum quod ceteroquin Peripatetici reputant à termino generationis ductum his subjungere libet; Hi substantialem

lem eum salutant, qui nec procedat à materia, sed forma, indeque concludunt formam esse substantiam. Heic observ. terminum generationis dici substantialem, non quod nova exsurgat à materia realiter distincta substantia, sed quod ex jam præexistente per novorum accidentium introductionem nova prodeat substantia, uti v. g. figulus ex argilla ollam formatam in fideliam (dummodo adhuc recens fuerit) transformare potest; certè olla & fidelia sunt diversæ substantiæ, formas autem differentiales has quis concludet substantias? eadem generatio est quidem accidentalis respectu substantiæ in qua sit, vera tamen generatio substantialis manet ratione substantiæ, quæ ex sic immutata præexistente substantia emergit.

§. 18. Allatis diversis de Forma Physica sententiis brevibus delibabimus, qui formæ hæc materiales in corporibus oriuntur; ille cum Peripat. dicit *è potentia materia educi aliud nihil esse, quam inexistere, à materia dependere*: Sed quomodo hæc cum illorum principiis convenient, ipsi viderint; namque juxta illos materia est principium purè passivum, iners adeoque non mereri nomen Entis: Forma autem est substantia excellens & nobilis, quomodo autem id, quod altero nobilius originem habebit ab eo, quod est ignobile?

§. 19. Est autem intrinsecè materia, licet passivè, affectionum, figuræ, situs, ac certæ determinatæque magnitudinis capax, atque adeò non malè hæc ipsa è potentia materiæ interveniente motu educi dicuntur, qui in eadem quantitate, qua à Deo primùm creatus permanet cum constanti, immutabili, simplicique operatione, uti ante animadversum est, conjuncta: hinc nunc omnium corporum formæ è potentia materiæ beneficio & virtute intervenientis motus, qui è potentia materiæ non educitur, sed materiæ per communicationem & propagationem advenit, atque adeò causa efficiens eorum omnium, quatenus eadem è potentia materiæ educit, imò verò & causa formalis corporis quatenus una cum figura situ & magnitudine completam & totam corporis formam facit.

§. 20. Dices: Quod si nuda materiæ dispositio rem aliquam constituit, canis artificialiter constructus in mensa cursitans propriè erit canis. Verùm uti ante visum, ad corpus naturale constituendum non requiritur extrinseca tantum materiæ dispositio, sed & intrinseca: in artificiali autem cor, & motus cordis, ventriculus, intestina & reliqua organa ad animal vivum constituendum necessaria

non

non dantur E. Et, horum accidentium palmarium si deficit, quod reliquorum accidentium principium & radix est, quale quid est motus sive circulatio sanguinis in animali forma perit; aliâs forma non tam arcte constringenda est, ut propter defectum unius accidentis statim expiret; quare nulla sequela: Si accidentia absolvunt formam propter defectum unius accidentis aut expirabit forma, aut non; si prius E. canis, cui cauda amputata, non erit canis; si minus E. canis in quo cessat motus sive circulatio sanguinis adhuc erit canis.

S. D. G.

Non nova, quod nova sunt; sed quod sunt vera, sequamur:
*Ipsô etenim Verô quid prius esse queat?
Lumina sint Veteres: sed non sint Numina. Verum
Ætas prima dedit, nec quoque nostra negat.
Qui Veterum barbam, cerebrum subtile Novorum,
Cam desit Verum, diligit, anne sapit?
Desipit iste quidem. Sed Tu sapientior isô
De rerum Formis vera probare studes.
Sic veros carpes fructus: modo dilige Verum,
Nec Tibi sit cura, sit Vetus, anne Novum.*

Præximio DN. RESPONDENTI


H. e. app.

M. JACOBUS HIERONYMUS Lochner/
Poëta-Professor.

Ardua materies rerum disquirere formas:
Quæ quondam latuit densis immersa tenebris.
Subjicis hanc oculis; quin spissas discutis umbras:
Discutis arreptas nebulas pro pondere veri,
Quas tantum peperit nobis persuasio dicti.
Sic pergas; metam pertinges tramite recto.

Hiscæ Domino Respondenti ad optima queque assurgenti applaudere voluit

PRÆSES.



lem eum salutant, qui nec proce-
concludunt formam esse substan-
generationis dici substantialem,
realiter distincta substantia, sed
vorum accidentium introductione
g. figulus ex argilla ollam forma
recens fuerit) transformare pote-
sæ substantiæ, formas autem dis-
stantias? eadem generatio est quæ
stantiæ in qua sit, vera tamen gen-
substantiæ, quæ ex sic immutata

§. 18. Allatis diversis de
delibabimus, qui formæ hæc mar-
cum Peripat. dicit *è potentia ma-
inexistere, à materia dependere*
principiis convenient, ipsi videri
principium purè passivum, iners
Forma autem est substantia exce-
id, quod altero nobilius originem

§. 19. Est autem intrinsecè
figuræ, situs, ac certæ determi-
adeò non malè hæc ipsa è poten-
duci dicuntur, qui in eadem qui-
tus permanfit cum constanti, im-
uti ante animadversum est, con-
rum formæ è potentia materiæ
motus, qui è potentia materiæ
municationem & propagationem
ens eorum omnium, quatenus
imò verò & causa formalis corpe-
magnitudine completam & tota

§. 20. Dices; Quod si nu-
constituit, canis artificialiter ex-
erit canis. Verùm uti ante visi-
dum non requiritur extrinseca
intrinseca: in artificiali autem co-
testina & reliqua organa ad animam

sed forma, indeque
observ. terminum.
exurgat à materia
præexistente per no-
eat substantia, uti v.
a (dummodo adhuc
& fidelia sunt diver-
quis concludet sub-
talis respectu sub-
tialis manet ratione
substantia emergit.

sententiis brevibus
oribus oriantur; ille
indubitanter esse, quam
do hæc cum illorum
iuxta illos materia est
nereri nomen Entis:
, quomodo autem
, quod est ignobile?
passivè, affectionum,
rudinis capax, atque
terveniente motu e-
Deo primùm crea-
olique operatione;
unc omnium corpo-
irtute intervenientis
ed materiæ per com-
que adeò causa effici-
ntia materiæ educit,
na cum figura situ &
mam facit.

positio rem aliquam
nfa cursitans proprie
naturale constituen-
riæ dispositio, sed &
dis, ventriculus, in-
stituendum necessaria
non

